


SARDINIA INSVLA. 67

SARDINIAE insulae latitudo & longitudo à Ptolemæo & Plinio diligentissime descripta est. Metropolim totius insulae Calarim hodie vocant: vnde bidui in Africam est traiectus. Longitudo insulae ad sex dierum iter pediti expedito patet; latitudo, duorum. Oppidorum nomina quae nunc vsurpantur, ab ijs quae Ptolemæus & Plinius ponunt, plane sunt diuersa. Quae Corsicam respicit, in montes frugiferos attollitur; at quae Africae obtenditur pars tota in planitiem explicatur, frumenti feracissima; etsi vix vlla pars insulae sit insecunda Pecoribus & pascuis abundat; ac proinde carniū & caseorum vili precio mirabilem suppeditat copiam. Boum tergora, vt & caseos, mercatores magno cum lucro in Italiam & Hispaniam auhunt. Insulani tam cicures quam syluestres equos magno habent numero; qui magnitudine quidem, non tamen robore, forma aut agilitate ceterarum regionum equis sunt inferiores. Tanta tota passim insula frumenti est prouentus, vt quotannis magna eius vis in Italiam & Hispaniam à mercatoribus transportetur. Quod si incolae paullo essent sagaciores magisque industrij, credibile est soli vbertatem Siciliae nihil cessuram, immo maiorem futuram. Vinum producit praestantissimum, magna copia, albi & rubri coloris. Oleum non gignit, incolarum magis ignauia, id genus arboris non ferentium, quam soli vitio. Oleastri enim in syluis passim non paucis reperitur: vnde facile conijci potest, nec oleas domesticas defuturas, modo ars & industria agricolae accederet. Tentauere nonnulli, non sine emolumento. Ceruis quoque apris, damis abundat: praeterque has aliud ferarum genus ibi reperitur, Mussali nomine ab incolis sortitum, quo magna ex parte illi victitant, praesertim qui montana colunt. Fera haec ceruum pilo & forma refert, sed cornua gerit incurua auribus circumducta, arietis instar. Magnitudine mediocrem ceruum aequat, gramine vescitur, inter asperos montes fere se continens, pernici cursu, carneque ad vescendum sapida. Lupum non fert Sardinia, nec vllas alias noxias bestias. Damnosissima quadrupedum ibi Vulpes est, magnitudine par illis qui sunt in Italia, tantis viribus vt robustum arietem ac vitulum etiam interficiat. Veteres prodiderunt, nullum venenatum animal in Sardinia gigni; at aerem parum esse salubrem: tum herbam quandam produci, quam comedens, risu emoriatur: vnde prouerbiū ortum: *Risus Sardonius*. Sed hac de re nihil dum certi compertum habemus: illud constat, serpentes & scorpiones non deesse, sed innoxios fere. Fluiujs & lacubus piscosis irrigatur, praesertim circa Oristangam oppidum. Aquis etiam dulcibus scatet, praesertim circa loca montana, & Calarim metropolim. Thermæ quoque non defunt, eaque non insalubres: quae tamen incolarum incuria nostro tempore magna ex parte sunt collapsae. Argenti etiam fodinae reperiuntur, praecipue ad Ecclesiarum ciuitatem. Quod vero parum inde argenti eruitur, incolarum sit vitio, qui si in fodiendo essent diligentiores, maius quoque facturi erant operæ precium. Plinius scribit alumen quoque in Sardinia effodi: cui tamen experientia nostri temporis aduersatur. Salis quidem frequentes atque vberes passim sunt fodinae, ad Calarim imprimis. Coralia quoque ceteris fere praestantiora, mittit; sed albi coloris per pauca. Ad caeli ingenium quod attinet, aere gaudet salubri, exceptis locis planis, ac praesertim circa Oristangam oppidum, vbi solum paludibus est refertum: è quibus ascendentes vapores aerem ita inficiunt, vt ceteri ferre eum aegre possint. Incolis denique iam olim frequens fuit; atque hodie etiam populosa satis est, & oppidis ac pagis exulta. In montibus passim & asperis locis etiamnum antiquae structurae visuntur, è saxo factae, instar turrium



acuminatę; cetero qui vallis siue propugnaculis nostratium vrbium nõ abfimiles. Fluuij quidem tota insula plurimi decurrunt, sed parum profundi, & vbique fere, æstate præsertim, vadosi. Diuiditur in promontorium Calaris, & promontorium Lugudoris: quarum singulę partes suum habent præfectum, siue Hispanum siue Sardum: at præsentē ipso prorege (qui Hispanus est natione, quum hęc insulę Hispaniarum regi subiecta) parum ij habent potestatis. Artes liberales plane negligunt insulani. Legendi & scribendi vsum tantum sibi parant, quantus ad patria iura intelligenda satis est. Galenus & Auicenna parui apud eos æstimantur: vnde fit vt ægroti medicis suis parum debeant. Sacerdotes parum litterati sunt; ac pauci Latinę linguę habent peritiã, magis liberis procreandis quam legendis litteris dantes operam. Incolę equis scite vtuntur; at ob diurnam pacem armis parum sunt instructi: nec vllus fere tota insula ijs cudendis reperitur artifex; sed si opus quandoq; ijs haberent aliunde, ex Italia vel Hispania, comparare sibi necesse haberent. Rusticorum vxores in vestitu & moribus singularem præ se ferunt honestatem; ciuium e contra, opibus ad pompam & luxum abutuntur.

